

MEMORIA

NICOLAE MCHRI.

Nire Doctissimo, Humilissimo,  
Guidoni de Lamson - Himmelstein

d.

Doctor

Est. A-7441

Est. A-7441

MEMORIA


NICOLAI MOHRI.

SCRIPSIT

J. TH. STRUVE,

Phil. Dr. Litt. Rom. in Univ. Caes. Casanensi

P. P. E. O.



A. 703

CASANI,

TYPIS UNIVERSITATIS CASANENSIS.

1854.



Typis descripta ex Fasc. 2. Actorum Eruditorum Universitatis  
Casanensis a. 1853.

21481

Est. A

Tartu Riikliku Ülikooli  
Raamatukogu

24452

PRAECEPTORIBUS AC DISCIPULIS

CAESAREI

GYMNASII DORPATENSIS,

SOLLEMNIA ANNIVERSARIA

OB

DECEN LUSTRA FELICITER EXACTA

D. 15. MENSIS SEPTEMBRIS A. MDCCCLIV.

CELEBRANTIS,

S. P. D.

J. TH. STRUVE.

Nihil homini recte cordato proveciori aetate dulcius est grata temporis praeteriti memoria. Sapienti enim ac benigna Dei Optimi Maximi Providentia factum est, ut humano generi, dum gravibus vitae undis obluetatur et modo fortibus brachiis fluctus propellit, modo, vehementi maris aestu abreptus, in tempus recta ad portum via dejicitur, unica sit eademque suavissima in aerumnis recreatio, quae ex recordatione temporis exacti petitur. Et inter jucundas has, quae animo nostro se offerunt, imagines primum locum tenent paterna domus, urbs patria, pueritiae campus; secundum sibi vindicat schola, in qua educati sumus et puerilis animus primis iisdemque perennibus veri pulchrique et honesti elementis est imbutus. Quis est, quin pio animo imaginem ante

oculos sibi revocet illius loci, quem discipulus »laevo suspensus  
 »loculos tabulamque lacerto« per plures annos continuos quoti-  
 die adierit, recordetur optimorum praeceptorum, qui indefesso  
 studio hoc egerunt, ut lascivientem coërcerent, rudem pueri ani-  
 mum verae sapientiae praeceptis formarent ac salubri studiorum li-  
 beralium cibo nutrent, meminerit denique sodalium amicissimorum,  
 quibuscum in literis decertare et, dato recreationis tempore, ludos  
 festivos miscere gratum erat? Ut autem idem, postquam jam-  
 dudum scholam reliquit, et aut recta via certum in societate hu-  
 mana locum sibi vindicavit, aut, absoluto in universitate literarum  
 quadriennio, latiore agendi campum obtinuit, pio semper animo  
 excipit, quidquid de schola, cui prima elementa debet, nuntiatur;  
 ita maxima certe laetitia animus ejus compellitur, quando annis  
 circumactis festus dies in illa obitur. Itaque talem diem laetum  
 quum instare videam illi scholae, in qua educatum me et ad  
 majora provectum esse laetor ac gloriior, gaudio exsultat animus  
 meus; quum vero fatum in longinquis terris locum mihi assi-  
 gnaverit, unde fieri non possit, quin sollemni eorum turbae me  
 immisceam, qui gratulabundi ad caram pueritiae sedem undique  
 concurrent, festi illius diei memor vota mea sincera literis his  
 mando.

Gymnasium vero Dorpatense—haec enim est illa schola,  
 de qua loquor—**AUGUSTISSIMUS IMPERATOR DIVUS ALEXAN-**  
**DER PRIMUS** biennio post restitutam in illa urbe Universitatem  
 literarum condidit. Excelsum enim ingenium **EJUS** probe intellige-  
 bat, tum demum perfectum et absolutum fore egregium humanitatis  
 donum, quod civibus **SUIS** obtulit, quum juvenes, antequam sa-  
 cram Musarum sedem adirent, in scholis bene institutis primis

literarum elementis erudirentur. Die 15. mensis Septembris a. 1804. sollemnis inauguratio scholae fuit, ex quo tempore gymnasium illud, a parvis initiis exordiens, per decem lustra sub auspiciis IMPERATORUM AUGUSTISSIMORUM filios non tantum familiarum Dorpatensium, verum totius fere Livoniae et multos quoque, quos paterna cura ex Petropoli, Mosqua et ex longinquis amplissimi imperii Rossici provinciis miserat, omnibus liberalis eruditionis disciplinis imbuat. Indefesso optimorum praeceptorum studio gymnasium mox laeta incrementa cepit. Quorum virorum memoriam, a patribus nobis traditam, dum pio animo revocamus, mihi imprimis patruus meus Carolus Struve ob oculos versatur, qui, ex patria Holsatia primus ex nostra gente a. 1804. in Livoniam profectus, ut privati praeceptoris munere fungeretur, instigante amico carissimo Friderico Rambachio, professore tum Dorpatensi, in gymnasio condendo munus praeceptoris primarii linguae Graecae suscepit. Idem sollemnem inaugurationis diem oratione Latina celebravit, in qua de educatione et institutione puerorum apud veteres locutus est. Per decem annos vir ille huic muneri praeerat cum magno juvenum fructu, donec oblatum ei est ex Borussia munus directoris gymnasii urbici, quod Regiomontii floret. Nec tamen unquam patruo decennii illius, quod Dorpati vixerat, grata memoria excidit, et quanta pietate illius temporis semper recordaretur in nova illa patria, a. 1829., quum gymnasium Dorpatense sollemnia anniversaria ob quinque lustra feliciter exacta celebraret, publice testatus est praefatione speciminis secundi Quaestionum de dialecto Herodoti, quam scriptionem »Viris Excellentissimis, Illustrissimis, Doctissimis, quibus cura rerum »scholasticarum Dorpati commissa erat«, dedicavit. Plura

de hoc patrum mei munere dixi in Vita ejus, quam praeposui priori Volumini Opusculorum ejus Selectorum, quae a me digesta nunc typis excuduntur (Lipsiae apud B. Teubnerum). Quemadmodum vero fatum voluit, ut, quum a. 1838. Regiomontii essem, morienti oculos operirem et hereditatis ejus literariae heres ex asse fierem, ita meum esse putavi, ut pro eadem illa schola, cujus inaugurationi interfuerat, in qua per decem annos Graecas literas tradiderat, cujus gratam memoriam semper animo servaverat, equidem, exactis novis quinque lustris, vota nuncuparem sincera, eoque magis, quum et ipse in ea educatus essem et primum quoque docendi tirocinium posuissem.

Quum tempus, quo ego gymnasium Dorpatense adii, intra annos 1827—1832. contineatur, nonnullos ex iis viris habui praeceptores, qui aut ab ipso initio in schola fuerant, aut paulo post intraverant. Praeerat tum gymnasio O. B. Rosenbergerus, sacrae religionis praecepta tradebat A. Carlblomius, linguam Latinam S. Malmgrenius, Graecam C. G. Girgensohnius. Germanicam C. Th. Herrmannus, Francogallicam C. Pezet de Corval, historiam J. Hachfeldtius et L. Boubrigius, mathematicam P. Socolovskius, artem graphicam A. Hagenius, canendi artem R. Biedermannus. O quantam parum recordationum messem in his nominibus video! Subit animum meum laetorum illorum temporum memoria, quum sub Vestris oculis. Praeceptores Dilectissimi, quotidie versatus puerilem animum Vestris praeceptis imbui, a Vobis didici, quid verum esset, quid pulchrum, quid honestum. Major horum virorum pars etiam nunc vivit, senesque honoratissimos Rosenbergerum, Carlblomium, Girgensohnium, Corvalum, Boubrigium, Socolovskium, Hagenium, Biedermannum pro-

ximo abhinc anno, quum Dorpati essem, coram salutare gratum mihi fuit officium. Herrmannum, quem Dresdae honesto otio fruentem a. 1839. videram, morte defunctum esse nuper literae publicae nuntiaverunt. Jamdudum mors abripuit Malmgrenium et Hachfeldtium. Hujus egregii viri, qui puerum me octavum aetatis annum agentem, postquam in novam patriam cum patruo meo Ludovico veni, in scholam suam privatam recepit, primaque literarum elementa docuit, ut memoria non tantum non evanescat mihi, sed animo alte impressa maneat, singularis fortunae casus facit. qui in eadem, qua nunc versor, urbe tres filias ejus ingenuas habitare voluit.

Novus fere praeceptorum ordo paucis annis postquam gymnasium reliqui, veteranos illos et emeritos excepit. Ex quibus E. Haffnerum directorem, praeceptores I. G. Chr. Cedergreenium, N. Mohrum, A. Hansenium commemoro, qui singulari amicitia sua ac familiaritate annis 1840 — 1841, quum ipse in inferioribus gymnasii classibus praeceptor essem, me dignati sint. Et ex his quidem viris carissimis Haffnerum, Excellentissimum nunc Universitatis Caesariae Dorpatensis Rectorem, Cedergreenium post quinque lustra in munere strenue exacta digno jam otio fruentem proximo anno vidi, Hansenium autem et Mohrum invida mors abstulit, illum abhinc quinquennio, hunc proximo anno, utrumque cum summo omnium non tantum propinquorum, sed civium urbis luctu ac moerore. Nescio, utrum magis in Hansenio admirati simus, doctrinamne ejus singulari memoria fultam, an ingenii acumen, quo tenebras historiae dispellebat. Magnae ei fuerunt docendi dotes, majores fere in literis laudes assecutus est, et summa ab eo expectanda erant cum

universae historiae, tum maxime speciali provinciarum Balticarum, quibus, ex quo sedem ibi fixerat, ut alteri patriae, erat addictus. Nolo pluribus dicere de suavibus ejus moribus, animo recto et simplici; egregium et facundum ejus elogium habemus in Diar. Paedag. Dorpat. 1849. p. 65 — 84. Non omnis obiit multaque pars ejus vitavit Libitinam: hoc et socero ejus, seni venerando, hoc uxori ingenuae, hoc filio, egregiae spei juveni, alumno nunc Gymnasii Dorpatensis, hoc nobis amicis solatium est in diurno iustoque luctu. Licebit vero mihi plura hic loqui de Nicolao Mohro, cujus memoriam etiamsi unus ex collegis ejus disertis verbis nuper celebravit in Diariis literariis Dorpat. (Inland 1854. N° 21.), tamen pietas flagitat. ne popularem meum, amicum non mihi tantum, sed toti genti Struvianae sincerissimum, praeceptorem quondam meum, mox studiorum fautorem, meis chartis inornatum sileam.

Quum proximo abhinc anno in provincias Balticas iter pararem, ut post longum temporis intervallum cognatos et amicos reviserem dilectissimos, animum grata temporis juvenilis recollectione et regionis, ubi educatus eram, ad aspectu recrearem, novam studiorum materiam ex virorum doctissimorum sermonibus mihi compararem, prae ceteris Mohrum meum quod visurus essem, laetabar, quem, postquam exeunte a. 1841. Dorpatum reliqui, bis et leviter tantum a. 1842. et 1843. Petropoli apud Virum Egregium F. Graefium compellare mihi contigerat. Quum vero nuntius mihi allatus esset, eadem illa aestate Mohrum meum cum uxore in Holsatiam ceteramque Germaniam profecturum esse, hoc gaudium in illud tempus differendum esse vidi, quo ille sub initium mensis Augusti ex Germania revertisset, equidem ex Helsingforsia, quo. uxore liberisque Dorpati relictis, solum me col-

laturus eram. Verum »τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη«. Nam quum primis mensis Augusti diebus, balneis marinis recreatus, recta via ex Fennia Dorpatum venirem, id maxime animo cogitationeque volvens, quomodo amicum, qui interea ad Larem domesticum redisset, subito opprimerem, tristi eheu! vultu reduci mihi se obtulit uxor nuntians, Mohru'm nostrum paucis diebus ante, quum, in Livoniam per mare reversus, vix pedem Rigae fixisset, implacabili ista cholera esse abreptum. Qui nuntius tam improvisus tanto impetu animum meum percussit, ut per plures dies neque credere illi, neque me colligere possem. Augebatur dolor publico omnium civium luctu; neque enim solum uxor marito carissimo, amici sodali dilectissimo, schola praeceptore optimo destituta erat, sed omnes—et quis Mohrum non noverat?—maximam se et humanitatem in hujus viri morte jacturam fecisse sentiebant. O raram viri felicitatem, quae vix inter millenos singulis eveniat! Quis enim est, etiamsi omnes vires intendat, ut verae humanitatis legibus sufficiat, quin ab hac vel illa parte in invidos ac malevolos incurrat? Quo magis, dum vitam moresque Mohri mei describo, hoc maxime indagandum mihi videtur esse, quid sit, cur beatus noster amicus tanto tamque sincero omnium amore sit gavisus.

Natus erat Nicolaus Mohrus (Claus Mohr) d. 6. m. Julii (d. 24. m. Jun.) a. 1806. in vico Holsatico Horst, qui sex fere milliaria Germanica ab urbe Hamburgo abest. Pater ejus Joannes, quem puer vidi, simplex erat agricola, verum ex numero eorum, quorum impigra industria, animo prudenti, libera ac mascula contumacia, qua avitos mores et agros colunt, felicissimae illius regionis opulentia nititur. Agrum habebat satis am-

plum, quumque praeterea in matrimonium duxisset filiam praepositi juri in illa dioecesi dicundo, nomine Stein, inter patricos illius vici referebatur. Ibi in schola vicana prima literarum elementa edoctus est noster Mohrus, et quum praeceptor illius scholae, ut fere omnes praeceptores vicani illius regionis, exquisita mathematicarum disciplinarum doctrina excelleret, puer jam mature magna cum industria in has incubuit et brevi singularem numeros memoriter tractandi artem est nactus, qua postea quoque eximie valebat. Itaque factum est, ut in adolescente desiderium suboreretur, ut totum se mathesi aliquando tradere posset. Veruntamen hoc ejus studium minime coiit cum patris sententia, qui, quum ager ejus per ducentos annos a patre semper ad maximum natu filium transiisset, ita ut Joannes et Nicolaus alternantia dominorum praenomina fuissent, hunc filium et dominum et administratorem paterni praedii fieri volebat. Sic aegre ferebat pater, Nicolaum, mathematicas quaestiones animo volventem, plaustra frumento onusta sequi, dumque operae frumentum in horrea conderent, formulas algebraicas magnis valvis creta adpingere. Adhortante demum medico et amico ejus familiae Dr. Ludovico Struve patruo meo, qui tum Elmshorniae, oppido prope adjacente, degebat, postea a. 1824. Dorpatum se contulit, ubi a. 1828. professor Therapiae et Clinices obiit, pater commotus est, ut acri filii desiderio indulgeret. Provectori aetate amicus noster pio animo saepe recordatus est illius diei a. 1822., quo inspicienti sibi in agro fossorum opus frater minor natu supervenisset laete nuntians: domum veniret, adesse praeceptorem, qui linguam Latinam ipsum doceret. Sic una cum filiis pastoris ecclesiae altiores disciplinas ab illo praeceptore per aliquod tempus

edoctus est; quum vero erectioris animi juvenis mox animadvertisset, et sodales in literis se praecucurrisset, neque ab illo praeceptore majora se edoceri posse, duce Ludovico Struve, quem saepe Elmshorniae visebat, aditum in scholam Latinam, quae Glueckstadiæ floret, privatis studiis sibi paravit. Sub idem tempus primum publice mentio ejus est facta; nam quum praeceptores variarum illius regionis scholarum, ut ad studia mathematica mutua aemulatione se instigarent, in actis diurnis publicis problemata solvenda sibi invicem proposuissent, et unus ex illis, quam repererat solutionem, laete publicasset, alius respondit, jamdudum solutum esse hoc problema a Nicolao Mohro, juvene Horsto-Holsato. Quae prima laudatio publica ut juvenis animum incitavit, ita virorum doctorum oculos in eum convertit. A 1823. Mohrus noster in tertiam classem scholæ Latinae Glueckstadiensis intravit; quum autem brevi omnes ejus classis discipulos in literis longe superasset, praeceptores, novum aliquid necdum auditum in eo statuentes, medio semestri tempore in secundam classem eum transposuerunt. Jam sub auspiciis egregiorum praeceptorum contentis viribus in literas incubuit, praecipue in linguas antiquas et mathesim, ex quibus studiis utrum magis animum ejus devinceret, difficile erat dictu. Praeterea autem, quum eum non fugeret, patrem, quamquam opibus minime destitutum, aegre tamen acri huic filii in literas incumbendi studio indulsisse, hoc sibi jam tum proposuit propositoque stetit, ut quam minima impendia patri faceret, et quantum fieri posset, privatis lectionibus se sustineret. Ut vero et studiis et privatis lectionibus distinebatur, nihilominus satis otii manebat, ut in circulo lectarum aliquot familiarum versaretur, ubi mox omnium benevolentiam et

amorem sibi conquisivit. Anno 1827. examine abiturientis maxima cum laude absoluto, quum tenax propositi in universitate aliqua altioribus studiis se vovere vellet, ita ut, si fieri posset, minima essent patri impendia, circumspicienti ei spes affulsit ab eodem illo viro, qui in scholam Latinam ex paterna domo viam ei aperuerat. Ludovicus enim Struve, munere professoris Therapiae et Clinices in universitate Caesarea Dorpatensi, ubi jam frater ejus Guilielmus Astronomiae professor erat, accepto, sub initium a. 1824. in Livoniam se contulerat. Quum igitur unus ex praeceptoribus Glueckstadiensibus per literas ei nuntiasset, Nicolaum Mohrum, quem bene nosset, strenue absolvisse cursum scholasticum et in universitate Dorpatensi mathematicis disciplinis studere cupere, si quidem ibi suo labore se sustentare posset, Ludovicus Struve literas has cum fratre communicavit, qui egregiis, quibus juvenis commendabatur, laudibus laetatus: » Fac veniat, « respondit, » talibus » juvenibus hic indigemus; nec dubitandum, inveniri posse, quibus » sustineatur. Sic ambo illi patru mei, iidem illi, quibus ego quoque omnia mea debeo, juveni Mohro campum aperuerunt, quo latius exspatiari posset et in quo temporis decursu spem, quam de eo susceperant, egregie implevit. Quo laeto nuntio accepto, Mohrus noster statim ad iter se accinxit et comitatus a parentibus suis Lubeckiae navem conscendit, ut in Livoniam se conferret. Auctumno illius anni Mohrus quum Dorpatum venisset, statim a patruo meo Ludovico supinis manibus exceptus est, ad fratrem deductus et ab utroque ceteris viris doctis commendatus. Mox in numerum civium universitatis receptus (Alb. Acad. N° 2340), primum quidem mathematicis disciplinis se dedit. brevi vero ad philologiam transiit. Disciplinas philologicas illo tempore Dorpati tradidere Carolus Mor-

gensternius et Valentinus Francke. Ille, unus ex primis professoribus, quos IMPERATOR AUGUSTISSIMUS DIVUS ALEXANDER PRIMUS ad universitatem recens conditam arcessiri jusserat, et doctrinae consummatae copia et elegantiae studio inter aequales longe excellens, quantopere ad varia universitatis instituta condenda, asservanda, locupletanda indefesso animo contribuerit et, quum nuper senex octogenarius, jamdudum otium non otiosum in literis agens, e vita decessit, opulenta bibliotheca sua ceterisque artium monumentis universitati ex testamento relictis, aeternam memoriam apud posteros sibi vindicaverit, id egregie publice effatus est vir amicissimus Ludovicus Mercklinius (Karl Morgenstern. Gedächtnissrede. Dorpat. 1853. 4.). In altera vero studiorum antiquitatis parte, qua critica et exegetica disciplinae exercentur, excellebat collega ejus Francke, cujus ad familiaritatem ut magis se applicaret noster Mohrus, eadem patria idemque animi studium fecerunt. Splendidum ejus judicium ingenique acumen, quod in Callino, Programmatis de vita Juvenalis et in Editione Inscriptionum Richterianarum miramur, junctum cum grata hospitalitate animoque festivo hilarique, non tam in lectionibus publicis majori audientium coronae patebat, quam aliquot selectis, quibus familiaritate ejus uti contigit, ut Mohro nostro. Magno jam ardore ad studia antiquitatis amicus noster se convertit, in quibus egregium mox inter cives academiae nactus est sodalem, Henricum dico Neukirchium, professorem nunc P. O. Universitatis St. Vladimiri, quae Kioviae floret. Et in hoc quoque mirandum fuit, quid animus studiorum appetens ad obstacula sibi opposita pervincenda valeat. Quum enim juvenis rei familiaris angustiis circumcluderetur, perinde tutorem nactus est et fautorem

Carolus Doellenium, paedagogum clarissimum, qui Mitaviae privatam scholam habebat, ita ut non tantum cursum gymnasialem posset absolvere, verum etiam, id quod in summis votis ei semper fuerat, Dorpatum se conferre, ut animum ad majora tendentem in universitate antiquarum literarum studio imbueret. Cum hoc viro Mohrus noster brevi intima amicitia junctus est. Quando post studia seria gratum recreationis tempus datum erat, libenter in familiis patruorum meorum aliisque spectatis versabatur, in quas juvenis bene moratus et educatus facile aditum invenerat, et viri illi, animum ejus prudentem ac firmum admirantes, libenter familiaritate et amicitia sua eum dignati sunt. Facile autem ei contigit, ut, quod maxime votis expetierat, quum patriam relinqueret ac parentes, suo labore vitam sustentare posset. Neque enim tantum in seminarium paedagogico-philologicum, quod, a. 1822. in universitate institutum, ut boni praeceptores formarentur, sodalibus trecenos rubelos aeris quotannis publice assignabat, receptus est, verum etiam privatarum lectionum tot occasiones ei se brevi offerebant, ut omnino suis pedibus jam insisteret, et saepe postea ingenua cum laetitia amicis professus est, postquam semel ex paterna domo decedens viaticum a patre accepisset, nunquam se amplius subsidiis ejus indiguisse, sed ipsum, quae sibi opus fuissent, comparavisse. Eximiae autem ejus docendi dotes jam tum proruperunt. Assidua et attenta scriptorum Latinorum lectione singularem mox adeptus est hujus linguae notitiam; pollebat non solum magna verborum et dictionum copia, sed etiam in intimos etymologiae et syntaxis ejus linguae recessus ita se insinuaverat et, quid dici latine posset, quid non. tam certo judicio expendebat et ad subtilissimas regulas revocare

poterat, ut mox gravis in hoc genere iudex et arbiter haberetur Dorpati. Gratum animum autem ut exhiberet patris meis ob multa beneficia in se collata, statim ab initio pueros nos ad se allexit et praesertim Latinae linguae praecepta nobis tradidit. Per multos annos semel quaque hebdomade nos omnes eum adire memini, ut, quae e Germanica lingua in Latinam converteramus, corrigeret et emendaret, et si quid latine nunc scribere valeo, plurimum me ex privatis ejus lectionibus profecisse laete confiteor. Nec tamen solum praeceptor noster erat Mohrus, sed vere paterno amore se nobis offerebat, praecipue postquam acerba mors a. 1828. Ludovicum patrum praemature et uxori et liberis eripuit. Inter sodales quoque firmus et prudens ejus animus magnum ei concivit amorem, et ut semper per totam vitam, ita jam tum tempus otii inter amicos hilare transigere non gravabatur. Neque tamen voluptatum fluctibus se plane abripi passus est, memor semper ejus, quod assequi propositum ei erat. Anno 1829. Nicolaus Mohrus, desiderio commotus suos patriamque dilectissimam revisendi, feriis aestivis iter fecit in Holsatiam, magnaque laetitiae hoc ei fuit, quod per biennium tantum pecuniae depone sibi licuisset, ut suis impensis hanc profectionem suscipere posset. Recreatus amplexu suorum gaudioque patris, qui felici successu filii eximie laetabatur, postquam Dorpatum revertit, quum jam tertius studiorum annus inciperet et amicus Neukirchius ad examen candidati philosophiae subeundum se accingere vellet, una cum eo in studia incubuit. Sic a. 1830. uterque, examine magna cum laude absoluto, candidati philosophiae gradum adeptus est, eodem illo anno, quo invida mors Virum Egregium Frankium suis, universitati, literis abripuit. Dum Neukirchius, qui

a. 1828. dissertatione »de fabula togata, ac de L. Afranio, »praestantissimo togatorum scriptore« aureo praemio donata magnam de se spem moverat, iter publicis impensis per Germanicam et Italiam in aliquot annos faciebat, Mohrus noster, cui talis occasio data non erat, privatis lectionibus Dorpati se sustentavit, simul autem a studiis dilectis non aversus, ut viam ad majora sibi muniret, a. 1832. veniam legendi in universitate petiit, defensa publice dissertatione »de nonnullis locis Horatianis« (59 pagg. 8.). Magnum jam illis temporibus fulcrum atque adminiculum Mohrus erat arti medicinae studentibus. Nam quum jure ab his accurata linguae Latinae notitia flagitetur, qua et in lectionibus clinicis et in historiis morborum describendis et denique in adipiscendo doctoris gradu opus est, Mohrus brevi postquam in universitatem venit, disputationes medicorum Latina lingua instituit earumque rector et moderator fuit. Dissertationes doctoris gradum ambientium aut totas vertebat, aut scriptas Latine corrigebat, et per plus viginti annos ita hoc munere fungebatur, tantaque apud medicos valebat auctoritate, ut nemo facile ad summos in medicina honores Dorpati ascenderet, quin a Mohro nostro ornatus esset. Erant, qui ingenue profiterentur, rudi atque indigestae dissertationis suae moli Mohrum formam demum quandam logicam ac nitidam induisse, nec raro fiebat, ut hic, quum temporis decursu non mediocrem rerum medicarum notitiam sibi comparasset, non tantum ipsam linguam Latinam, verum etiam sententias perverse ac contra medicinae normas expressas corrigere coactus esset. Sic Musa quoque medica nunc cassum lumine luget; eamque ob causam, quum anno abhinc paucis diebus post funestum mortis illius nuntium pro-

1832

motioni cuidam medicae in aula universitatis Dorpatensis interessem, non potui non inferre mentionem gravis illius jacturae, quam quum omnes, tum etiam medici morte ejus perpassi erant. Eodem anno 1832. Mohrus noster in matrimonium duxit Elisabetham ex gente Mesteriana; quod conjugium mutuo amore ac caritate fuletum, etsi liberis non auctum, tamen felicissimum semper fuit. Multum illis annis, qui nunc sequuntur, apud Mohrum fui; erat enim ille mihi tum, quum primum ad studia philologica animum adpellere constitui, et suasor et dux in literis. Dum autem sic et privatis lectionibus et filios amici cujusdam in domum suam receptos educando honeste se sustentabat, opportunum tempus exspectans, quo major praeceptoris primarii campus sibi pateret, vehemens morbus eum, qui alioquin optima semper valetudine gavisus erat, invasit, conceptus ex laesione cranii, cui infelici casu clavum ferreum impegerat. Quae vulneratio primis diebus neglecta, tertio die tam vehementer eum depressit, ut brevi in lectum prostratus viribus deficeretur et lethargo quodam correptus vix spiritum ducere videretur. Quis eorum, qui tum adfuerunt, non meminerit magnae trepidationis, qua omnes tenebamur, quantumque, Viro Egregio et Amicissimo Dr. Faehlmanno frustra omnia tentante, ut soporem dispelleret, in horam expirare nostrum Mohrum timeremus? Verum »τῶν ἀδοκίμων πύρον εἶσε θεός«; post multorum dierum lethargiam subito rediit animus sibi conscius, et quamquam tarde convalescebat, nullum tamen ex malo remansit vestigium. Saepe autem Mohrum nostrum postea fateri memini, nullum vitae annum graviolem sibi fuisse illo, qui sequeretur, quum medicus monuisset, provocari posse levissima causa in loco afflicto extravasatum.

Venit tandem illud tempus, quo amico nostro publice datum est id munus, cui per sedecim annos cum magno juvenum fructu, summa praepositorum laude, eximio civium omnium applausu praeerat. Nam quum circa a. 1837. major praeceptorum Gymnasii Dorpatensis pars munus per plus quinque lustra administratum deponerent et honesta missione accepta in otium se reciperent, Mohro nostro munus praeceptoris primarii Graecae linguae traditum est, quod illo anno obiit. Jam amicus noster toto animo huic se muneri dedit, et brevi et ipse bene sensit et amici ejus intellexerunt, hunc esse campum, in quo omnes animi vires egregie explicare posset. Etenim quem jamdudum in magno amicorum et familiarium circulo sibi comparaverat amorem, hunc statim post acceptum munus etiam inter collegas et discipulos sibi collegit tantum, quantum vix unquam alius. Nec immerito; profecto enim ille, si quisquam mortalium, omnes perfecti praeceptoris partes explevit. Egregie natura ad difficile hoc et spinosum munus suis eum dotibus exornaverat; ipse quoque annorum serie indefesso studio omnes animi ingeniique facultates excoluerat ad hanc normam. Erat ei summa animi firmitas et aequabilitas, nec tristibus perturbationibus, neque adversis rebus labefactata, semper tranquillum ac serenum vultum prae se ferebat; quo factum est, ut lubentissime omnes in rebus difficilibus prudentissimum ejus consilium sequerentur, a nimia pertinacia et imbecilla indulgentia aequae remotum, utque parentes, si quid de filiis gymnasii alumnis consultandum erat, ad eum potissimum se converterent. Candidus integerque ejus animus, a quaque simulatione alienus, auctoritatem ei ac fidem inter amicos et discipulos conciliavit. Aberat arrogantia; suas virtutes non

ex aliis, sed ex officii sui legibus modeste expendens, aequum collegarum suorum iudicem se praebebat, et libenter ad gaudia et miserias uniuscujusque animum tenerrimi sensus plenum advertebat. Recto et sincero viro nihil majus antiquiusve erat justitia, quam quum omnes, tum maxime discipuli in eo pie colebant. Raro puniebat, sat erat amica compellatio; nunquam convicia, impotentis irae signa, audiebantur. Quare puniti quoque justitiam ejus et animum vere paternum postea praedicare solebant. Summa cura ac diligentia praeceptoris munus explebat; in interpretandis poëtis ac rerum scriptoribus Graecis, ut Homero, Sophocle, Euripide, Thucydide, Xenophonte, Plutarcho, nihil praetermitti volebat, quod ad interiorem cognitionem indolis scriptoris et linguae Graecae pertineret, et attento impigroque animo discipuli excipiebant praeceptoris verba, qui, quantum fieri posset, in vertendo ipsum poëtae vel scriptoris ingenium referre studebat, summam rerum explicandarum bene paucis constringebat verbis, singulaque saepe repetendo juvenilibus animis imprimebat. Quum, ut omnibus veris paedagogis, ita ei quoque persuasum esset, nulla re magis se insinuare juveniles animos in linguae alicujus indolem ac naturam, quam si aut dictata sibi ex vernacula lingua in alteram convertere, aut ipsi cogitata sua alterius linguae verbis libere exprimere edoceantur, eximiam diligentiam exercitiis Graecis advertebat, nec taedii nec laboris inde nati prave fugax. Tradita sibi quaque hebdomade accuratissime corrigebat, tamque subtilem variorum generum vitiorum rationem habebat, ut, quum vulgo quinque aestimationis numeris utantur praeceptores, ipse cum maximo juvenum plausu viginti minutos censurae gradus statueret.

Versantem jam per biennium in novo hoc munere equidem

ex Germania redux, quo, absoluto examine candidati philosophiae, me contuleram, medio anno 1839. reperi; quumque sequente anno traditum mihi esset munus praeceptoris linguarum antiquarum et mathematicae in classibus Gymnasii Dorpatensis inferioribus, per unum et dimidium annum, quo illo munere fungebar, propius eum adspicere contigit. Magna tum, ut semper, amici erat industria; praeter lectiones et in gymnasio et in universitate habendas multos juvenes privatis horis linguas antiquas docebat, ita ut, diebus festis vix exceptis, ab hora octava matutina ad vesperam usque continua opera detineretur, nec recreationi nisi una hora concederetur. Si quod a lectionibus datum erat otium, aut corrigendis exercitiis discipulorum vel dissertationibus medicorum, aut diariis literariis perlustrandis consumebatur. Saepe nos, videntes singularem illam viri amicissimi assiduitatem, timebamus, ne valetudo ejus detrimentum inde caperet. Verum, utut variis negotiis erat obrutus, quum sapienter tempus dispensaret, satis otii inveniebat, ut in circulo spectatorum aliquot amicorum animum laboribus fessum recrearet. Sic dum praeceptoris munus agebat, gratum acceptumque ei erat, si, hebdomade inter negotia absumpta, die sabbatis vesperi amici eum conveniebant, ut inter varias sermocinationes vel lusiones genio indulgerent. Magnam noster Mohrus sibi collegerat facilitatem in omnibus lusionibus, quae vel corporis agilitatem viresque et oculorum aciem efflagitant, vel bona memoria et animo vicissitudinum probabilitatem celeri obtutu complectente nituntur. Illis vespertinis coetibus fere semper interesse solebat Fridericus Robertus Faehmannus, quem virum cum Mohro nostro conjunxerat idem animi candor humanitatisque studium. Quum autem ille quoque

summa negotiorum copia detineretur, semel tantum per hebdomadem tempore illo statuto se visitabant amici gratoque sermone exhilarabant.

Quamquam vero Mohrus noster majorem diei partem in lectionibus publicis privatisque dandis consumebat, nihilominus tamen non prorsus a privatis literarum antiquarum studiis abhorruit. Praeter lectiones publicas, in quibus munere docentis fungens, varios scriptores et poëtas tam Latinos quam Graecos studiosis interpretandos proponere solebat, per aliquod tempus, dum altera philologiae cathedra vacabat, lectiones publicas de antiquitatibus Romanis et Graecis habuit. Singulare autem studium semper advertit poëtis Romanis, Horatio imprimis, Propertio et Juvenali. Sic a. 1845. Spicilegium edidit adnotationum ad D. Junii Juvenalis Satiram primam et secundam, sive censuram commentariorum C. Fr. Heinrichii in has satiras (Dorpati, 45 pagg. 8.). Scripsit vero hanc dissertationem, ut altiolem in literis nostris magistri gradum adipisceretur; quamquam enim jam plus decennio ante, missa in Germaniam dissertatione, doctoris philosophiae gradum inde acceperat, tamen, quum ad majora nitenti apud nos lege sit imperatum, ut in una universitatum Rossicarum altiores gradus magistri et doctoris rite nanciscatur. Mohrus noster Petropolin se contulit, ibique examine absoluto et dissertatione illa publice defensa magistri gradu est decoratus. Justo virorum doctorum plausu accepta est haec scriptio; recte enim Mohrus in ea monstrabat, commentarios illos Heinrichii, post mortem ejus a filio editos, omnino infra magnam expectationem, quae omnibus de iis mota erat, substituisse, simulque ad multos locos satirici Romani subtiles profundaeque doctrinae plenas

annotationes exhibebat. Horatium assidua lectione totum in se receperat et semperolvebat. Circa a. 1848. grammaticam Horatianam conscribere in animo ei erat, partemque ejus edere ad gradum doctoris philosophiae apud nos acquirendum. Quod consilium quum in tempus abjecisset, eodem anno, ut ad sollemnem gymnasii actum suo ordine invitaret, programma scripsit, »rationem sistens, qua Horatius nomina Graeca exhibuerit« (Dorp. 14 pagg. 4.). Est mihi exemplar editionis Horatii Doeringianae, quod Mohrus noster annotationibus suis implevit, ab uxore ejus cum aliquot aliis libris in memoriam defuncti amici ante paucos menses comiter mihi donatum. Quem librum quotiescunque manibus versor, grata redit amici memoria et spirare adhuc amor videtur, quem his paginis olim commisit. Jure autem dolendum est, illum virum, qui subtilem linguae Latinae cognitionem multa lectione sibi paraverat, magna lectionum tam publicarum quam privatarum copia impeditum, non plura doctrinae suae specimina edidisse. Sic saepe mihi olim narrabat, de T. Livii Patavinitate, quae dicitur, aliquid scripturum se esse, et postremis annis antiquitates Homericas magno studio pertractavit, easque in publicis quoque lectionibus studiosis tradidit.

Ubicunque vero publicae utilitati, praesertim rei scholasticae, consulendum erat, toto pectore opem suam addicebat Mohrus, addictam maximi habebant amici et collegae. Sic quum abhinc fere decem annis praeceptores Dorpatenses, ut rebus scholasticis majorem et accuratorem diligentiam adverterent, societatem constituerent paedagogicam, in qua de optimo methodorum genere, de ambitu cuique scientiae in scholis statuendo, de disciplina scholastica disputarent, Mohrus noster toto animo his disputationibus

intererat. Ex variis quaestionibus, quas amicorum disputationi illis annis proposuerat, aliquot typis sunt excusae in Fasciculis Paedagogicis, qui primum Actis literariis, quae Dorpati sub titulo »Inland« eduntur, addebantur, postea singulatim evulgabantur curante V. D. Th. Thraemero. Itaque a. 1846. (cf. Inland N° 6.) scripsit »Nonnulla verba de ratione perversa, qua versiones »scriptorum antiquorum Germanicae in scholis adhibentur«<sup>1)</sup>, eodem anno (cf. Inland N° 10.): »Quaeritur, utrum ex disciplinis, »an ex classibus distribuendi sint praeceptores«<sup>2)</sup>, denique a. 1849. (cf. Das Erziehungs- und Unterrichtswesen in den Russischen Ostseeeprovinzen. Verhandlungen von Schulmännern in den paedagogischen Beilagen des Inlands. Jahrgang 1849. In besonderem Abdrucke herausgegeben. Dorpat, 1849. 8. p. 23—27.): »De legendis »scriptoribus Latinis ac Graecis in duabus superioribus gymna- »siorum classibus«<sup>3)</sup>.

In his studiis et occupationibus, in grato propinquorum amicorumque circulo Mohrus noster postremos annos tranquille transiegit, ad focum domesticum modice exstructum sua sorte contentus, nec majora anxio animo quaerens, quum Livoniam propter diuturnam commorationem, multaque bona, quae ibi invenerat, alteram patriam haberet. Cum exteris amicis, ut mecum, rarum ei erat epistolarum commercium; quotannis tamen singulas sal-

<sup>1)</sup> »Einige Worte über den Missbrauch, der mit den deutschen »Uebersetzungen alter Schriftsteller getrieben wird.«

<sup>2)</sup> »Ist das Fachlehrersystem oder das Klassenlehrersystem vorzu- »ziehen?«

<sup>3)</sup> »Ueber das Lesen der Lateinischen und Griechischen Schrift- »steller in den beiden obern Klassen der Gymnasien.«

tem literas mihi dare solebat, in quibus de studiis suis, praecipue de statu Gymnasii Dorpatensis et de mutationibus, quae temporis decursu inciderant, roganti mihi accuratius referebat. Sic sub finem a. 1843. mihi scripsit, novum annum instantem gratulatus: »Mihi quidem nihil aliud exopto, quam in tempus omnia »in eodem manere statu; etenim contentus sum sorte mea »et revera essem ingratus erga fatum, si non essem contentus « et initio a. 1845: »Status rerum mearum Dorpati plane idem, »neque est, quod mutationem exoptem, quippe quum plane »contentus esse possim et campo agendi mihi assignato et loco, »quem inter cives obtineo.« Feriis aestivis a 1842. in Holsatiam profectus est, ut suos reviseret; reversum inde pyroscaphio Petropoli, ubi tum degebam, amicum vidi. Volebat autem fatum, ut postremum tum videret patrem dilectissimum, qui biennio post obiit. Scripsit amicus mihi a. 1845: »De me quidem tristem nuntium tibi mittam oportet, scilicet eum, me »patrem dilectissimum annos fere septuaginta duos natum d.  $\frac{1}{11}$  m. »Julii anni praeteriti morte amisisse. Placide obiit, nullo gravi »morbo afflictus, sed ipsa grandis aetas mortis ei causa fuit. »Eximiae in luctu consolationi mihi est, quod a. 1842. denuo »eum vidi, senem plane vegetum vitaeque cupidum, ita ut credere »non possem, tam cito eum marasmate moriturum esse, nullo »gravante morbo. Erat quaque ex parte vir probus, qui amorem »et verecundiam omnium, qui propius eum noverant, illibata detulit ad inferos. Sit ei terra levis!« — Idem annus 1845. novo luctu domestico amicum nostrum uxoremque ejus afflixit. Frater uxoris, qui picturis suis jamdudum honestum inter artifices indigenas locum sibi vindicaverat, tardo morbo tabescens morti succubuit,

eumque mater aetate jam confecta mox insecuta est. Depressum his aerumnis diurnoque labore animum ut exhilararet, feriis a. 1846—47. Revaliae fuit, multosque amicos, quos inter Esthonos habebat, post plus decem annos magno cum gaudio praesens salutavit. Maximo autem moerore Mohrum nostrum affecit a. 1850 mors amici dilectissimi Faehlmanni, de qua haec mihi scripsit sub finem Aprilis mensis ejusdem anni: »Graviter animum meum commovit mors viri per multos annos mihi amicissimi Faehlmanni. Inde ab initio Novembris mensis domum non amplius reliquit; quamquam vero status ejus valde erat dubius, tamen sperabamus, fore ut iter in Germaniam, et fortasse in Madeiram insulam suscipiendum, ad quod jam commeatus ei datus erat, eum servaret. Subito d. 10. mensis Aprilis eruptio sanguinis pulmonalis carae ejus vitae finem imposuit. Quid Dorpatum amiserit, non est, cur tibi describam, quum cognitum habeas, eum adiutorem aegrotis, pauperibus verum patrem fuisse.« Quis unquam crediderat, tam cito intra quadriennium vestigia amici lecturum esse Mohrum nostrum? At Deo Optimo Maximo placuit, ut, antequam a terra avocaretur, denuo videret, quos diligebat pioque animo colebat. Intererat amicus noster festo illi sollemni, quo Universitas Caesarea Dorpatensis, alma et ejus et multorum mater, decem lustra feliciter exacta d. 12. m. Decembris a. 1852. celebrabat; verum non tantum intererat, sed pro virili parte symbolam contulit ad augendam hujus diei laetitiam. Egregie ille hoc omnium gaudium carmine illo Latino expressit, quod loco veteris illius »Gaudeamus igitur« inter epulas sollemnes cantatum, maximo applausu omnium excipiebatur. Excellit illud carmen convivale mascula quadam simplicitate animique candore et

pietate. Saepius jam antea Mohrus noster in hoc carminum genere vires periclitatus erat, ut quum professoribus emeritis Hermanno Koehlero a. 1845. et Carolo Blumio a. 1851. collegae valedixerunt, et in nuptias argenteas Eduardi et Emiliæ Ottonum. Quanto autem gaudio ille festis almae matris diebus amicos studiorumque sodales post tot annorum seriem compellavit et amplexus est! Et virum illum, quocum inde a primo adventu in Livoniam pietas et amicitia eum conjunxerat patrum meum Guilielmum illis diebus grato hospitio intra parietes suos privatos excepit. Mense Januario anni subsequentis laete haec mihi nuntiavit amicus, et in eadem illa epistola, quam postremam ab eo accepi, consilium suum de itinere in Germaniam faciendo mecum communicavit. Addidit haec: »Aestate a. 1842 postremum in Germania fui; itaque patriam me denuo visurum eximie laetor, eoque magis, quum postremum iter solus susceperim, nunc vero cum uxore sim profecturus. Praeter Holsatiam adire nobis animus est ripas Rheni et Helvetiam. Iter Italicum in seriora tempora est differendum; fortasse si Deus Optimus Maximus vita bonaque valetudine me beaverit, postquam emerui, igitur a. 1862., illud suscipere potero.« Verum,

Vitae summa brevis spem nos vetat inchoare longam.

Die 16. Maji mensis, amicorum piis votis prosequentibus, itineri illi se commisit. Dicunt, qui postremis illis diebus Dorpati eum viderunt, in discedendo Mohrum nostrum omnesque amicos, quasi in aeternum abiret, valde fuisse commotos. Felici vero cursu amicus terrestre iter Rigam, inde pyroscaphio per mare in Holsatiam perfecit et in amplexibus propinquorum veterumque amicorum aliquot hebdomades hilare transegit. Ulterius jam profe-

ctus laetas Rheni ripas legit et reversus per alteram Germaniae partem sub finem Julii mensis per Balticum mare nave rediit, ut primis Augusti mensis diebus, commeatus dati fine, Dorpatum veniret. Attamen jam in ipsa nave, antequam in portum Rigensem perveniret, morbo correptus est, symptomata vero prima pro nausea habens, affectiones in terra remissuras esse speravit. Verum vix e nave escenderat et Rigam pervenerat, ubi tum dira ista Cholerae epidemia grassabatur, quum omnia signa perfectae Cholerae in eo proruperunt et brevi temporis spatio vitae ejus finem imposuerunt d. 28. mensis Julii. Sic Deus Optimus Maximus voluit in illa terra morti succumbere nostrum amicum, quae altera patria ei fuerat, ubi tot amicos, tantum tamque praeclarum agendi campum invenerat. Nuntio autem illo funebri Dorpatum delato, auxit moestitiam amicorum — verbis ut utar Taciti in morte Agricolae sui c. 45.—»quod assidere valetudini, »fovere deficientem, satiari vultu, complexu non contigit. Exce- »pissimus certe mandata vocesque, quas penitus animo figerè- »mus. Noster hic dolor, nostrum vulnus; nobis tam longae »absentiae conditione jam diu amissus es. Omnia sine dubio, »optime amice, assidente amantissima uxore superfuere honori »tuo; paucioribus tamen lacrimis compositus es et novissima in »luce desideravere aliquid oculi tui.«

Uxor et amici, desiderio commoti, ut a cujus ore vultuque pependerant, dum vivebat, ejus defuncti tumulus prope a se abesset, venia publica facile impetrata, corpus in tempus Rigae compositum hieme Dorpatum deferri jusserunt. Itaque d. 3. mensis Februarii hujus anni sollemnes exequiae institutae. Omnes collegae, discipuli multique amici in coemeterio convenerunt et, naenia a

discipulis cantata, unus ex collegis, rerum sacrarum in Gymnasio praeceptor, disertis verbis animos omnium perculit, egregie admonens, quid in Mohro suo amisissent; viam doloris quidem se esse ingressos, verum libenti animo, quippe qui justa solverent defuncto, redituros laeto animo ad munus strenue sancteque agendum, donec sibi quoque veniret ultima hora. Deinde loculum sollemni pastoris ecclesiae precatione consecratum collegae et amici humeris ad sepulcrum portaverunt, eoque, succinentibus naeniam discipulis, in terram demisso, amicus et praepositus Mohro nostro postrema amoris et comprobationis verba acclamavit. Verum enim vero dignissimus erat noster amicus, quem universi grato animo agnoscerent, nemo non diligeret ac coleret. Nam candor ejus animi, inter utrumque generis humani malum, nimium fervorem debilemque securitatem pari intervallo expensi, tristem illam ignorabat suspicandi invidendique labem, quae si quando intraverit pectus humanum, praiceps nos abripit causaque est diuturna inimicitiarum atque invidiae.

Postquam sic paucis vitam moresque amici nostri adumbravi, pietate flagitante et amore, jam ut oratio mea in viam redeat, unde deflexit, ad Vos me converto, quorum tutelae ac curae traditum est Gymnasium Dorpatense, quosque collegarum nomine compellare grata pristini muneris memoria mihi liceat, et ad Vos Juniores, qui nunc maxime Gymnasium illud aditis, quo ego quoque multique gentis nostrae erudiebantur olim. Macti virtute este! Schola enim Vestra mutuis Vestris studiis. Praeceptorum diligentia atque impigritate, alacritate ac strenuitate Juniorum justae respondit exspectationi, quam olim in ea condenda foverat DIVUS ALEXANDER PRIMUS, quam in tutanda augen-

daque nunc reponit AUGUSTISSIMUS NOSTER IMPERATOR  
NICOLAUS PRIMUS. Sit utinam Gymnasium Dorpatense,  
quod semper fuit, egregia juniorum palaestra, studiorum, quae  
recte vocantur humaniora, sedes ac domicilium, patriae nostrae  
decus lautissimum!

Valete.

Dabam Casani Calendis Septembribus A. MDCCCLIV.

